



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XV. S. Cvnibertvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

SECULUM VI.

XII. CARENTINVS.

Carentinus sedit per annos 20. regnantibus in Francia Sigeberto & hujus filio Childeberto, quorum favoribus tutus Coloniam partim novis, partim instauratis exornavit templis: unde cecinit Poeta;

Templa Carentinus qui plurima struxit in urbe,
Ingenti gessit Religione Pedum.

XIII. D. EBREGISILVS.

Debregisilus per annos pariter 20. floruit Coloniensium Episcopus Guntramo Francorum, & Childeberto juniori Austrasiz Regi acceptissimus. Pars corporis sepulta, sed inde inter Reliquias sacras merito numerati, Tuitium translata quiescit miraculis clarissima. Sedit an. 20. mortuus an. 600.

SECULUM VII.

XIV. REMEDIVS.

Etiam Remedius annis 20. Coloniensium Episcopus docuit illa ætate, qua Theodobertus Austrasiz Rex pulsus, Colonia capta, & oves unà cum pastore suo sunt dispersæ, atque ad macellum raptæ: laudes proinde Remedio scripsit Poeta hoc compendio:

Remidius medicâ sanavit vulnera dextrâ,
Et pepulit morbos à grege sæpe suo.

XV. S. CVNIBERTVS.

S. Cunibertus Dagoberto II. Austrasiz Regi moderator à re-
gio genitore Sigeberto datus, munus suum ea morum
U inte-

integritate gessit, ut aulam Regis in DEI domum conver-
sam dixerint æqui rerum æstimatores. Consilia is sua cum vi-
ris virtute & munere sibi paribus communicans, Ecclesiæ & reg-
nis mirè profuit, doctus miscere eum in modum sacra profanis,
ut dum alieno etiam curas intendebat, suo tamen nunquam defuerit
officio: unde Stephanus Abbas Divorum eo tempore Episcopo-
rum mores dilaudans hæc scripsit: *quale, quàm sanctum erat illud pa-
latium, ex quo tam sanctos, tamque illustres suscipiebat Ecclesia Sacerdotes? ex quo
procedebant sectatores non Simonis, sed Petri; non mercenarii, sed veri ministri Chri-
sti; & qui curias Regum non quærent, sed potius à Regibus quærentur ipsi, quique
non honores per ambitionem appetent, sed magis ab oblatiis, per humilitatem refuge-
rent. Ex quorum numero; erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus
Coloniensis, Tungrensis Remaclus, Trevirensis noster Modoaldus, istis & omnibus aliis
omni virtutum genere conferendus. Vide plura in brevvero p. ag. 343.*

Cæterum inter elogia D. Cuniberti numerârunt etiam, quod
Reliquias Divæ Ursulæ & Sociarum Virginum loco honoratori
posuerit: unde cecinit Poeta:

Detexit cineres Ursula Diva tuos.

Annis 40. illustravit Sedem Coloniensem, mortuus an. 660.

XVI. BOCALDVS.

BOcaldus D. Cuniberti Successor annorum 20. Episcopus,
vel laudari multis non est promeritus, vel verius laudes
posteris transcribere neglexerunt Germani majores nostri,
gladio, quàm calamo nobiliores, quod queruntur hodie mul-
torum nobilissimi cineres, & plurimorum in Germania Præfulum,
inter quos veniunt

XVII. STEPHANVS. & Sed. 10.

XVIII. ADELVINUS Sed. 4.

XIX. GUISO.

Guiso Archipræsul is fuit, cujus vigilantia id deberi te-
stantur Veterum annales, quòd Romanis aris amplior
patuerit